RATIONES

Quod non tantùm expediat, sed etiam necesse sit Academiam Leopoli in Collegio Patrum Societatis IESV erigere.

1. RAtio. Erectio Academiæ in Collegio PP. Soc: IESV Leopolien: magnoperè est necessaria ad Fidei & Romanæ Ecclesiæ inter Hæreticos & Schismaticos defensionem & propagationem, ad cuius efficaciam plurimùm conferent literarij honores, & promotionis gradus, vt Doctores Catholici Doctoribus Schismaticis opponantur, & maiore cum authoritate Catholicam Doctrinam promoueant.

2. In præteritis Comitiis concessæ sunt Ruthenis duæ Academiæ: altera Kiiouiæ resuscitanda, altera vbi illis liberet, erigenda; Patribus Soc: saltim vna concedatur. Et si tunc, quando istæ Academiæ concedebantur, Academia Cracouiensis sua Iura & Priuilegia non opponebat, cur modo opponit?

3. Si Rutheni erigerent Leopoli suam Academiam, magnæ sine dubio essent dissensiones inter hos Academicos & Collegii Societ: IESV Studiosos. Cùm igitur in præteritis Comitiis obtinuerint Rutheni licentiã erigendi Academiam in eo loco, quem elegerint, ne eligerent Leopolim, omninò necesse erat eos præuenire impetratione Priuilegij ad Academiam in Coll. PP. Soc. IESV erigendam.

4. Vt Vniuersitas erigatur in Coll PP Soc: IESV Leopoli, expetunt Illustr: Russiæ Magnates, & tota illarum terrarum Nobilitas, vt habeant vicinius doctrinarum emporium, quàm sit Academia Cracouiẽsis. Id ipsum expetiit à S. R. M. per Illustris: ac Reu: D. Regni Cancellariũ D. Nicolaum de Prazmow Prazmowski meritissima de Repub: Ciuitas Leopolis, speratq; se hoc promeritorum suorum præmium & ornamentum consecuturam.

5. Polonia & Magnus Ducatus Lithuaniæ gaudent suis Catholicis Academiis, cur non gaudeat eodem præsidio & ornamento Russia?

6. Tàm amplum est Regnum Poloniæ, vt quemadmodum non vnius tantùm fontis, ita nec vnius duntaxat vniuersitatis sit capax.

Gloriatur Vniuersitas Cracouiensis adinstar Patauinæ & Bononiensis Vniuersitatis se esse fundatam; vt igitur non solum Patauium, nec sola Bononia, sed Patauium cùm Bononiâ totam Italiam clarificat, quemadmodum ait VLADISLAVS IAGELLO in Statuto Herburti; ita Academia Cracouiensis non ambiat sola Vniuersam Poloniam Russiamq; clarificare, sed in consortio clarificandi Leopolim compatiatur.

7. Tametsi PP. Soc: IESV obtinuerint olim à Sede Apostolicâ decretũ Studiosos externos in suo Collegio Cracouiensi docendi, cessere tamen eo tempore Reipub. voluntati. Cùm igitur nunc erigere velint remotiorem ab Vniuersitate Cracouiensi Academiam nullo ipsi in tantâ locorum distantia impedimento futuram, sperant à Rep. huius suæ voluntatis approbationem.

8. Nec est metuendum, ne exoriens Academia Leopoliensis antiquissimam atq; celeberrimam Vniuersitatem Cracouiensem extinguat. Propagabit illa suum splendorem meritis, promotionibus, doctrinâ, & nominis suis celebritate, magnamq; Polonæ iuuentutis partem ad se trahet.

9. Facessat scrupulus, quo quidam anguntur, dum existimant se erectioni Academiæ Leopoliensis assentiri non posse, ne rei violati iuramenti existant, quo se quondam obstrinxerant ad tuendam Academiam Cracouiensem, eiusq; honorem defendendũ, quia illud solùm cadit sub iuramentum defendendi honorem & Priuilegia Academiæ Cracouiensis, quod est Priuilegium vel honor illius, sed non permittere in toto Regno Poloniæ vllam aliam Vniuersitatem nec est Priuilegium, nec honor Academiæ Cracouiensis. Non Priuilegium; hoc enim nullibi extat. Non honor; quis enim dixerit arrogantiam monopolii scientiarum & libertati Reipublicæ, quam habet ad concedendas alias Academias, & remotiori à Ciuitate Cracouiensi Russiæ Nobilitati præiudiciosam, esse honorificam Cracouiensi Vniuersitati? Igitur non permittere aliam in toto Regno Vniuersitatem non cadit sub iuramentum defendendi honorem & Priuilegia Academiæ Cracouiensis. Vnde sequitur non esse contra iuramentum Academiæ Cracou: præstitum consentire in approbationem & confirmationem Academiæ Leopoliensis.

10. Erectio Academiæ in Collegio PP. Soc: IESV Leopoliensi,

nulli

nulli iuri vel Priuilegio Academiæ Cracouienſis derogat. Poteſt igitur propter allatas rationes à Rep. approbari & confirmari.

Quod non deroget, manifeſtè patet, quia id in nullo iure vel Priuilegio legitur, quod ſola Academia Cracouienſis debeat eſſe in toto Poloniæ Regno, & nulla alia in vllâ eiuſdem Regni Ciuitate erigi poſſit. Proferant Academici Cracouienſes ex omnibus iuribus & Priuilegiis ſuis vel vnicum textum, in quo id ſcriptum ſit. Videntur maximè inniti verbis illis, quæ in Diplomate Erectionis ſuæ Vniuerſitatis à VLADISLAO IAGELLONE ſibi dato legunt. *Fiatq; ibi fons Doctrinarum irriguus, de cuius plenitudine hauriant Vniuerſi literarum cupientes imbui ornamentis.* Hinc enim inferunt ſolam Academiam Cracouienſem in toto Poloniæ Regno debere eſſe Vniuerſarum Doctrinarum fontem, nec poſſe in vllâ aliâ Regni Ciuitate alium fontem aperiri, ex quo profluant Vniuerſæ Doctrinæ. At non dicitur in hoc Diplomate. *Fiatq; tantùm ibi fons Doctrinarum*, ſed dicitur, *Fiat ibi fons doctrinarum &c.* vbi. Cracouiæ. Quibus verbis non vetat VLADISLAVS IAGELLO fontem Doctrinarum in aliâ etiam Ciuitate Regni temporibus conſecuturis aperiri; ſed tantùm ſignificat ſe eo tempore, quo Priuilegium conferebat, Cracouiæ illum aperire. Nec eſt credibile VLADISLAVM IAGELLONEM eo Priuilegio Vniuerſitatem doctrinarum ita reſtrinxiſſe ad ſolam Ciuitatem Cracouienſem, vt eam noluerit in ſuâ etiam auitâ Ciuitate, nempe Vilnæ, vnquam erigi. Sicut igitur Lutherani ex eo, quòd fidem legant in ſcripturis ſacris iuſtificare, non rectè inferunt, ſolâ fidē iuſtificare; ita qui in Priuilegio Iagellonis legunt, Academiam Cracouienſem Cracouiæ eſſe fontem doctrinarum, non benè inferunt ſolam Academiam Cracouienſem debere eſſe fontem doctrinarum in toto Poloniæ Regno, nec poſſe aliam Vniuerſitatem doctrinarum in aliâ Ciuitate Regni inſtitui.

Interea PP. Soc. IESV ab Illuſtriſſimis Ordinibus humillimè petunt, vt aduertant, quàm ob cauſam Academia Cracouienſis eo tempore, quo percrebuit erectio Academiæ Leopolienſis, ſua iura & Priuilegia à Rep. confirmari velit, & quid hiſce iuribus ſuis Priuilegijsq; prætendat. Si enim illis hoc prætendit, quòd Rationibus contrà Erectionem Academiæ Leopolienſis editis conatur perſuadere, videlicet vi ſuorum iurium & Priuilegiorum ſolam tantùm in

toto

toto Poloniæ Regno debere esse Vniuersitatē Cracouien: nec posse aliam in aliquâ eiusdē Regni Ciuitate excitari Vniuersitatem, siq; in eo sensu vult sua iura & Priuilegia confirmari; non patiatur Sapientissima Resp. talem interpretationem, quam nullo modo verba Priuilegii significant, ad confirmationem sibi obtrudi, nec libertatem suam, quam habet ad alias etiam Vniuersitates in Regno Poloniæ instituendas, eâ confirmatione coarctet. Quin immò palā ostendat se eam libertatem habere approbando & Comitali Constitutione confirmando Erectionem Academiæ Leopoliensis, non obstantibus Priuilegijs & iuribus Academiæ Cracouiensis, quibus ea Erectio haud quidquam derogat.

Hanc breuem informationem PP. Societatis IESV Prouinciæ Polonæ Illustrissimis & Amplissimis Regni Ordinibus venerabundè deferunt, & submisse petunt, vt jn hac causâ, quæ ad vtilitatem, consolationem & gloriam Reip. refertur, beneuolentiam omnium experiantur, & Erectionis Academiæ in Collegio Leopoliensi Approbationem Constitutione Comitiali confirmatam obtineat. Præcipuè tamen suorum quondam discipulorum opem implorat Societas, quos tam in sapientissimo Senatu, quàm in Eruditissima Nobilitatis coronâ Reipubl. negocia summa cum dignitate tractare magno suo solatio conspicit, gratulaturq; Deo, quòd etiam ex Collegiis & Vniuersitatibus suis Viri dignissimi prodeant.



Cum Licentiâ & Approbatione Illustr: ac Reuer: Loci Ordinarij.

VARSAVIÆ.

Apud Viduam & Heredes Petri Elert, S. R. M. Typ.
Anno Domini, 1661.

